



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. LX. An Deus res omnes cognoscat in seipso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

quam iam illarum cognitionem: in quo videtur fecerit Arist. Doctrinam, de qua disp. 86. dicemus.

Deinde idem Magister, & Episcopus Lutens. interpretantur Hieron. ut neget eodem modo Deum curam gerere rerum minimarum, videlicet deputando illis Angelum, præcepta etiam imponendo, & designando præmia, sicut habet curam hominum, hoc modo explicat etiam Hieronymum Hugo de S. Victore in summam sententiarum tractatu 1. cap. 12. ubi etiam præcedentis expositionis meminit. Mihi tamen non admodum probatur expositio, siquidem verba Hieron. aliud manifeste indicant, vel legenti constare potest, & earum rerum minimarum generalem solum concedit notitiam, & providentiam: sed non propterea Hieronymi sententia in hoc loco veritatem Catholicam labefactare debet. Habemus quoque pro ea ipsius testimonium manifestum in cap. 10. Matth. ubi explicans illud: Nonne duo passeris assere veniunt, &c. ait, Si parua animalia absque Deo auctore non decidunt, & in omnibus semper est providentia, & quæ in his peritura sunt, sine Dei voluntate non pereunt, vos qui æterni estis, non timere debetis, quod absque Dei voluntate providentia?

DISPUTATIO LX.

An Deus res omnes cognoscat in seipso.

Due oppositæ sententiæ. cap. 1.

Deum non videre creaturas omnes in seipso tanquam in causa, probabilior opinio est. cap. 2.

Deum in se tanquam in speculo creaturas videre. cap. 3.

Soluantur argumenta primæ, & secundæ sententiæ. cap. 4.

CAPVT I.

Due oppositæ sententiæ.

DOCTRINAM utriusque art. præcedentis hac unica disputatione enotare curabimus: namque ex modo, quo Deus cognoscit res creatas, facile colligere licebit, an omnes sigillatim secundum proprias ipsarum rationes cognoscat.

Circa modum vero, quo Deus res alias cognoscit, de quo in art. 5. agitur varie sunt sententiæ Theologorum, prima est Galvini in 1. d. 35. artic. 2. conclus. 1. & Okami in eadem d. quæst. 3. Aureoli, ut est apud Capreol. eadem d. 35. q. 2. art. 1. in argum. contra conclusionem, qui affirmant, creaturas a Deo ita proxime in seipsis videri, ut eas non videat in sua essentia, tanquam in obiecto primario prius viso, quæ opinio colligi videtur ex Scoti in 1. d. 35. q. 1. §. Ad ista, in medio illius, ubi primum docet, intellectum diuinum per suam essentiam constitui in actu primo ad intelligendum non tantum suam essentiam, sed etiam creaturas omnes. Asserit deinde, Deum actu veluti secundo intelligere seipsum, & alia: & quamvis in eius doctrina primum obiectum intellectus diuini sit eius essentia, ut infra disp. 143. referemus: nusquam tamen docet essentiam diuinam ita primo cognosci, ut in ea tanquam in obiecto primario prius cognito creaturæ videantur, sed sicut dicit intellectum, Dei per essentiam suam constitui in actu primo ad sui, & aliarum rerum cognitionem: ita docet, in actu secundo se, & omnia alia cognoscere, nec vnum prius alio.

Hæc opinio probatur primum, Creaturæ non sunt in Deo secundum proprias rationes formales, ergo nec in ipso videri possunt secundum illas: hic enim agimus de cognitione creaturarum secundum proprias earum rationes, non quatenus

in Deo dicuntur esse ipse Deus, ut disp. 51. explicatum est: præterea si creaturæ viderentur, ut sunt in Deo non viderentur distincte, cum enim aliquid in alio videtur distincte cognosci non potest: sed Deus distincte, & secundum proprias rationes sigillatim eas cognoscit, ergo non in se, sed in ipsis eas videt.

Secunda opinio est Dur. in 1. d. 35. q. 2. in corp. ad 2. Tho. de Argent. q. 1. maxime vero conclus. 4. Capreol. q. 1. art. 1. conclus. 1. & 2. Caiet. & recentiorum in hoc art. aliter, Deum in seipso, tanquam in primario obiecto prius cognito cognoscere omnes creaturas distincte, & proprio conceptu secundum rationes proprias ipsarum: cum dicunt, tanquam, in obiecto prius cognito, significant essentiam diuinam non solum esse quasi speciem ad efficiendam visionem creaturarum; verum etiam esse primum obiectum, in quo prius cognito creaturæ videntur. Deinde, cum addunt, hoc modo a Deo creaturas cognosci secundum proprias ipsarum rationes, plane intelligant, non solum cognosci, quatenus in ipso Deo existentes, dicuntur esse ipse Deus, ut supra dicebamus sed etiam secundum rationes creatas, quibus a Deo distinguuntur, cognosci.

Explicat deinde amplius hanc sententiam Durand. & Caiet. hoc modo, creaturæ dicuntur cognosci in Deo, quia sunt in eius essentia sicut in causa eminentiori quadam ratione vnitæ, ita tamen, ac si distincte continerentur, ut in ea distincte, & perfecte cognoscantur: quare dicunt non cognosci in Deo tanquam in speculo solum, aut specie, sed etiam tanquam in obiecto prius cognito. In hanc sententiam refertur solet S. Thom. in hoc art. 5. & 1. contra gentes c. 53. Agnidus in 1. d. 35. q. 2. Alex. 1. p. q. 1. 2. art. 1. Henric. quodlib. 9. q. 2. qui asserunt Deum in seipso creaturas cognoscere, non in ipsis.

Hæc opinio probatur primo ex Dionys. 7. de diuinis nominibus post medium, ubi non solum docet, Deum in seipso creaturas cognoscere, sed etiam eas in seipso, tanquam in causa, & per causam intelligere. Secundo, quia Aug. lib. 8. q. 46. ait, Deum nihil extra se intueri. Tercio ratione probatur, nam si Deus cognoscit cætera omnia, non ex eo, quod seipsum cognoscat tanquam primum obiectum, sequitur, seipsum non comprehendere: quoniam hac sola ratione diximus, disp. 53. c. 4. Deum a Beatis non comprehendendi, quia non possunt ita Deum videre, ut ex vi visionis, quæ ipsum vident, cætera creata, quæ ad ipsum quodammodo pertinent, valeant intueri: quare etiam si videret Beatus ipsum Deum, & omnia creata assunder, quam ex ipso Deo prius cognito, non diceretur in nostra opinione Deum comprehendere: ergo ut Deus seipsum comprehendat, opus est Deum videre seipsum; & ex vi huius visionis cætera omnia: aut necesse est, ut in eadem in aliquam ex his sententijs, quas in ea disp. ex professo impugnauimus. Quarto, si nihil obest, quo minus Deus seipsum, & creaturas in seipso hoc modo cognoscat, non debemus ei hoc denegare, cum videatur perfectissimus modus cognoscendi, nimirum effectum in perfectissima causa, in qua multo perfectioni modus est, quàm in seipso.

CAPVT II.

Deum non videre creaturas omnes in seipso, tanquam in causa probabilior opinio est.

EGO quidem arbitror, Deum in sua ipsius essentia res omnes creatas intueri, diuerso tamen

Probatur secundum.

Secunda sententia, Durand. Argent. Cap. col. Caietan.

S. Thom. Arg. diu. Alexand. Henric.

Dionys. Probatur primo.

Secunda. August. Tercio.

Quarto confirmatur.

Secunda expositio non placet.

Hugo, Viti.

Matth. 10. Testimonium Hieron. pro veritate Caiet.

Prima sententia. Galvini, Okami, Aureoli.

Scotus.

Probatur primo.

men modo, quam Caietan. putauit, nempe Deum in seipso eas cognoscere, non ex eo, quod seipsum tanquam causam, & primum obiectum prius intelligat, sed in seipso tanquam in verbo, & specie expressa: ut vero hanc sententiam explicemus, & probemus, duo obseruanda sunt.

*Observatio
Prima.*

Vnum est, omnia, quæ Deus cognoscit, etiam si cum essentia ipsius conferantur, simul inter se, & cum ea cognosci, non tantum simul tempore, aut duratione, sed etiam natura: eo quod vnica, & simplicissima sit cognitio, quam Deus de se, & de alijs rebus habet: in eadem vero cognitione non potest prius, & posterius natura assignari: potest tamen prioritas quædam rationis constitui, quatenus ex parte obiectorum, quæ cognoscuntur, vnum concipitur à nobis veluti ratio, qua Deus cognoscit aliud, eo quod vnum sit magis coniunctum ipsi Deo intelligenti, quam aliud. Ergo nunc videndum est, an essentia Dei ita se habeat ad ipsum Deum intelligentem, ut dicatur esse primum obiectum, quo cognito cætera omnia ab ipso cognoscantur.

*Observatio
Secunda.*

Alterum obseruandum est, in Deo esse cognitionem essentialiam, quæ est communis tribus personis: & notionalem, quæ est propria Patris. Prior cognitio est ipsamet essentia Dei absolute secundum rem, quæ nostro modo intelligendi dicitur habere & rationem speciei expressæ, seu verbi, & actus secundi: posterior cognitio habet relationem realem productionis verbi, quod est secunda persona Trinitatis. Est autem differentia inter nostram cognitionem, & diuinam, siue ea sit essentialis, siue notionalis, quod nostra cognitione, & intellectio non cognoscitur ipsum verbum, quæ est actio realis, siue ipsum verbum, quod per modum actionis solum (vt aiunt) grammaticalis intelligitur, vt disp. 14. c. 4. explicabimus. At vero in Deo tam verbum productum realiter, quod est secunda persona, quam ipsamet essentia diuina, quæ est veluti verbum eorum, quæ essentiali intellectioe Deus intelligit, directe cognoscitur eademmet intellectioe aut essentiali, aut etiam notionali, qua reuera producitur: vnde verbum vtroque modo est id, in quo res cognoscantur, & cognitum.

Ex duobus igitur, quæ continent nostra sententia, prius in hoc cap. nobis probandum est, videlicet: Deum non videre in se ipso creaturas, sicut in causa, & obiecto primario prius viso: posterius enim sequenti cap. confirmabimus: prius autem sic ostenditur. Primo si Dei attributa à nobis considerentur secundum proprias rationes, quas de ipsis concipimus; non omnia ita se habent, ut inter se connexa videantur nostro modo intelligendi, hoc est, non pendet secundum rationem vnumquodque ab vnoquoque nam si de scientia Dei loquamur, non videtur secundum suam rationem formaliter supponere omnipotentiam, neque enim dicitur Deus omnia scire, quia est omnipotens: imo vero contra, ideo videtur omnipotens, quod omnia sciat vt dicemus infra disp. 10. scientia enim sua infinita, & voluntate dicitur omnia posse, aut tanquam proximo principio, aut saltem primo, & dirigente in sententia eorum, qui omnipotentiam ad exequendum tribuunt essentia Dei, secundum quod est intellectioe vero, & voluntati directionem: ergo etiam si non intelligatur Deus omnipotens per locum (vt aiunt intrinsecum) non sequi-

tur non esse omnia intelligentem: aliunde igitur omnia cognosceret, quam per suam essentiam cognitam, vt omnipotentem. Nam si hoc solo medio intelligit per locum intrinsecum, optime sequitur, ablata omnipotentia, qua cognita cognoscit creaturas, cognitionem quoque, quam de creaturis habet, de medio tolli: ergo cum nostro modo intelligendi scientia, quam Deus de creaturis habet, non supponat omnipotentiam, non supponet etiam essentiam suam cognitam, tanquam causam earum, ac proinde, neque vt primum obiectum, quo prius cognito creaturas intelligat: quæ omnia recte sequuntur, si nostro modo intelligendi philosophemur: hoc autem modo philosophandum esse, ex priori notatione supponimus.

Secundo probatur, quoniam vt ostendimus disp. 38. c. 1. & disp. 50. c. 4. & 5. obiectum aliquod prius cognitum non potest esse medium cognoscendi aliud quidditatio, & proprio conceptu, si in se non continet totam rationem illius, & eiusdem omnino rationis cum eo non est: nam si diuersum est, quo pacto insit illius aliud poterit quidditatiue cognosci: Deus autem non continet in se formaliter rationem creaturarum: imo in se omnino dissimilis illis est, ergo cognitum prius non potest esse medium cognoscendi creaturas. Tercio vt in illa disp. 50. c. 4. & 5. diximus, cum Deus in se omnino absolutus sit ab omni relatione, & ordine ad creaturas, non potest alicui intellectui, etiam diuino, esse medium cognoscendi creaturas aliquas, tanquam obiectum primum prius cognitum: vnum enim prius cognitum non ducit in cognitionem alterius, nisi illius, ad quod refertur.

Dices, Deum referri ad creaturas relatione saltem rationis, licet non reali: & hoc satis esse, vt ducat in cognitionem claram creaturarum: at hoc si uolam est, quoniam, vt eo loco dicebamus, hæ relationes rationis solum concipiuntur à viatoribus non à Beatissimis, qui vident rem, sicuti est, ac proinde non confundunt has relationes, quæ in Deo non sunt, siquidem ipsam concipiunt, sicuti est: quanto minus Deus seipsum sub respectu illo rationis nostre concipiet, qui ita intime seipsum intelligit, sicuti est, vt nihil omnino sua cognitione in seipso mutet, & hac de priori parte.

CAPVT III.

Deum in se tanquam in speculo creaturas videre.

Posterior pars nostre sententia facili quoque probatur, nempe Deum in seipso, tanquam in specie expressa, & verbo intueri creaturas quod est eas videre in seipso, tanquam in speculo, quia in eo repræsentantur veluti in verbo. Nam essentia diuina sic comparatur cum Deo, vt ipsa non solum sit essentia, qua Deus est, sed ei etiam sit sui ipsius cognitio. sic ergo non solum Deum constituit in ratione Dei, sed etiam ipsum reddit intelligentem sui ipsius: vnde & sibi est veluti species expressa, & verbum sui, & est obiectum cognitum. Præterea repræsentat creaturas actu, & est earum cognitio; quare illis comparatur vt verbum earum. Hac igitur ratione Deus creaturas cognoscit in se ipso prius cognito: non quidem prius cognito solum tanquam obiecto primario, & causa, sed tanquam verbo, quod est etiam creaturarum verbum, eas repræsentans. Et quamuis essentia non ducat Deum in cognitionem creaturarum, quatenus ab ipso Deo solum cognita est: ex eo tamen, quod

*Deus non videt creaturas in se, vt in obiecto primo viso.
Prima ratio.*

7

8
Secunda ratio.

Tertia ratio.

*Obiectio.
9
Distinguitur.*

10

quod primum constituit Deum sui intelligentem, constituit deinde intelligentem creaturatum; atque hoc posterius ita ex priori pendet, ut per locum intrinsecum recte sequatur, si essentia diuina non faceret Deum sui intelligentem, non faceret intelligentem creaturatum, non tamen contra, si non faceret intelligentem creaturatum, non faceret sui intelligentem. Ad eundem modum de verbo notionali Dei realiter producto dicendum est, ipsum enim ita terminat primo Dei intellectiōnem notionalem, ut simul ea videatur, & Patrem, atque essentiam diuinam repræsentet: ex hoc autem repræsentat creaturas, quas tamen non repræsentaret, nec in eo cognoscerentur, nisi in ipso primo essentia diuina videretur. In hunc sensum explicari posset S. Doctor, & alij, quos c. i. pro secunda sententia diximus allegari, cum asserunt, Deum in se ipso creaturas cognoscere: neque auctores prioris sententiae id, quod diximus, negarent, quare solum puto aduersari huic nostræ sententiæ Durand. Capreol. Thom. de Argent. Caietan. & recentiores aliquos Thomistas.

Quod vero ait S. Thom. art. 6. cognosci creaturas à Deo per suam ipsius essentiam, sicut actus imperfectus cognoscitur per actum perfectum: quia Deus in se habet, quicquid perfectionis in creatura est, intelligi debet ad modum expositum. In Deo enim, sicut in verbo, aut speculo sunt omnes creaturarum perfectiones propriæ, & ita in ipso hoc modo possunt proprio, & distincto conceptu cognosci: at formaliter in ipso non sunt perfectiones creaturarum, sed multo diuersæ, quare ex illis perfectionibus, quas in se videt Deus, etiam si ipse sit causa creaturarum, creaturas videre non potest, ut probatum manet.

Deinde, cum asserit, Deum videre creaturas in seipso, non ipsis, intelligendum est hoc modo, quia scilicet Deus non cognoscit creaturas, nisi media sua ipsius essentia, tanquam specie. In doctrina vero S. Thomæ cognoscere aliquid in seipso est, nulla media specie illud intueri: sicut eo putat Deum videri à Beatis in se, quod nulla media specie expressa videatur, ut disput. 35. diximus: nam alioqui Deus creaturas in se ipsis cognoscit, non in alio, hoc est, non confuse ex alterius obiecti cognitione, sed proprio conceptu, quo sunt Deo per se, non per aliud nota.

CAPVT IV.

Soluntur argumenta prima, & secunda sententia.

EX dictis facile diluuntur argumenta, quæ oppositum suadere videntur, duo vero prioris sententiæ facilia sunt, solum enim probant creaturas non videri à Deo prout sunt in ipso formaliter, sic enim sunt ipse Deus: ac proinde hoc modo non cognoscerentur à Deo creaturæ proprio, & distincto conceptu, de quo nunc agimus. Quocirca cum Gabriel, & Okam, alijque prioris sententiæ affirmant non cognosci creaturas à Deo in se ipso, non negant essentiam ipsam Dei esse loco speciei expressæ, quæ repræsentatur creaturæ, idque secundarie, primarie enim ipsa facit Deum seipsum intelligere, ut explicatum est: atque scotus, ut cap. i. retulimus, concedit Dei, essentiam esse obiectum primarium intellectus diuini, primo quidem cognitum, secundarium vero creaturas secundarie cognititas.

Argumenta quoque secundæ sententiæ nihil

V. de sententia in 1. part. Tomus I.

habent difficultatis. Primum quidem Dionysius eo loco solum contendit, Deum non accipere cognitionem à rebus, sicuti nos, sed ex se ipso rerum omnium ab æterno scientiam habere, verba Dionysij hæc sunt, Neque enim ea, quæ sunt, ex ipso, quæ sunt, discens nouit diuina mens, sed ex se, & in se per causam rerum omnium cognitionem, scientiam, essentiamque anticipatam, & ante comprehensam habet, non quod per speciem singulæ consideret, sed quod vno causa complexu omnia fiat: quemadmodum etiam lux per causam in se tenebrarum noticiam anticipatam, & informatam habet, quod non aliunde, quam ex luce tenebras nouit, seipsam ergo cognoscens diuina sapientia nouit omnia, sine materia, ea, quæ ex materia constant, sine diuisione, ea, quæ diuidua sunt, multa coniuncte, dum ipso vno omnia & noscit, & procreat. Cum dicit, habere Deum scientiam anticipatam non per speciem significat, ex seipso, non à rebus, eam accepisse, ideoque anticipatam appellauit, hoc est, quæ habetur de rebus, antequam ipse sint. Cum dicit non per speciem singulæ considerare, sed vno causa complexu, intelligit non habere singularem rerum singulas cognitiones, & singularem eas considerare, sed vno intuitu, utpote in ipso veluti in causa simul existentes, & hoc est, quod ait, vno causa complexu: sed cum Deus sit rerum causa intellectiōne, & scientia sua, intelligere debemus, hoc modo res omnes esse in Deo, ut in causa, vnica cognitione, & scientia complexas: & ideo dixit, vno causa complexu.

Eodem etiam modo debet intelligi, quod paulo inferius inquit in hæc verba, Ipsa enim (scilicet scientia Dei) seipsam omnium causam noscens, nullo prorsus modo ea, quæ à se perfecta sunt, ignorabit, hæc ergo Deus ea, quæ sunt, noscit, non rerum notitia, sed sui: hoc est, non notitia à rebus accepta, sed ex seipso: neque enim eadē cognitione, pro ut ad essentiam solum terminatur, eas cognoscit, quasi in ipso formaliter existant, sed eadem quidem, quæ tamen ad ipsas extra existentes, aut possibiles refertur. Similitudo vero, quam asserit, luminis & tenebrarum, ad hoc tendit, non ut Deus cognoscat creaturas, quia seipsum prius cognoscit, ut obiectum primum, cuius instar eas intelligat, sed ut ostendat, scientiam Dei non esse à rebus ipsis acceptam: veluti si lumen tenebras intelligeret, seipso illas cognosceret, & nihil ab ipsis, ut eas nosset, acciperet. Denique, cum asserit sine materia, & diuisione à Deo cognosci, quæ materia constant, & diuisa sunt, intelligi debet, non ex parte rerum quas Deus cognoscit, sed ex parte ipsiusmet diuinæ cognitionis. Nam Deus non cognoscit hominem esse sine corpore, neque Petrum indiuisum à Ioanne, sic enim intellectus Dei falleretur: sed diuisa, & materialia vnico, & simplicissimo actu, atque omnino spirituali cognoscit. Si tamen à rebus cognitionem acciperet diuisim res intelligeret, nec prorsus sine materia, hoc est, sine aliqua potentia.

Ad testimonium Aug. Respondeo longe diuersum esse sensum verborum ipsius, ait namque, Non enim extra quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret, quod constituerat, nam hoc opinari sacrilegum est: & statim docet, omnium rerum, creandarum rationes in Deo esse, vult igitur Aug. docere, Deum non creasse hanc rerum vniuersitatem aspiciendo aliquid extra se, cuius instar illud crearet, sicut pictores, qui aliquam picturam ante se positam habent, ut eam imitentur: sed intra seipsum cogitasse, quæ facturus erat, non quod suam essentiam

solum

M. de S. Thomæ
m. explicat
tur.

Durand.
Capreol.
Argent.
Caietan.
& recentiores
aliquos Thomistas.

II
Tunc eius
diffinitio ex
ponitur.

Cur negat
Deum videre
creaturas
in seipso.

12
Gabriel
Okam.

13

14

15

Augustini
testimonium
explicatur.

solum aspiceret, cuius instar cetera omnia faceret, hoc enim verum non esse demonstrabimus disp. 7. sed quia intra se habuit singularem rerum, quas facturus erat, distinctam, & propriam notitiam, de quo latius in ea disputatione.

*Quo modo
Deus sua
scientia seip-
sum compre-
hendat.*

Ad rationem vero secundæ sententiæ respon-
deo, necessarium quidem esse ad rationem perfe-
ctæ, & veræ comprehensionis per intellectum, ut
ille, qui comprehendit, intelligat ita obiectam, ut
ex vi talis intellectiōis complecti etiam possit
quicquid obiecto tribui potest, etiam si sit extrin-
secum aliquid, & effectus illius, ut diximus disp.
53. cap. 4. hoc autem fieri potest duobus modis.
Primum ita, ut ex eo, quod prius cognoscatur
ipsum obiectum, & intima cognitione penetratur,
inde cognoscantur cetera omnia, quæ ipsi tribui
possunt: & obiectum, in quantum res quædam
prius cognita, ducat in notitiam aliorum: aut per
discursum, aut sine illo. Et hoc modo Deus non
comprehendit seipsum, neque enim quia seipsum
cognoscit, intelligit alia, ut ostensum est. Deinde
esse potest comprehensio, ut Deo convenit, quia
nimirum sua essentia, quæ est sui ipsius cognitio,
ita reddit eum cognoscentem sui ipsius ut inde
habeat posse reddere etiam intelligentem creatu-
ras, nec eas aliunde representare posset, nisi esset
ipsius Dei cognitio: & hic modus comprehensio-
nis perfectior multo est, quod tantæ nimirum sit
perfectiōis scientia, quæ Deus seipsum intelligit,
vnde habeat, esse omnium aliarum rerum co-
gnitionem, & hæc satis circa doctrinam art. 5. & 6.
cetera namque quæ Caiet. notat, facilia sunt.

ARTICVLVS VII.

Utrum scientia Dei sit discursiua.

86
1. cont. c. 55.
56. & 57. &
po. q. 9. art. 2.
10. & quo l.
11. l. 2. Et
opu. 3. c. 29.
2. sup. c. 14. in
declat. loci
33. 10. 19. 14.
art. 2. & 5.

AD septimum sic proceditur. Vi-
detur, quod scientia Dei sit dis-
cursiua. Scientia enim dei non est
secundum scire in habitu. Sed secundum
Philosophum in 2. Topic. scire in habitu
contingit multa simul: sed intelligere actu
vnum tantum. Cum ergo deus multa co-
gnoscat (quia, & se, & alia, ut ostensum
est.) Videtur quod non simul omnia intel-
ligit sed de vno in aliud discurrat.

2. Præterea. Cognoscere effectum per
causam est scire discurrentis. Sed deus co-
gnoscat alia per seipsum, sicut effectum
per causam. Ergo cognitio sua est discursiua.

3. Præterea. Perfectius deus scit vnam-
quamque creaturam quam nos sciamus.
Sed nos in causis creatis cognoscimus earum
effectus: & sic de causis ad causata
discurrimus. Ergo videtur similiter esse in
deo.

Lib. 15. de
Trin. cap. 14.
de med. 10. 2.

Sed contra est, quod Augustin. dicit in
15. de Trin. Quod deus non particulatim
vel sigillatim omnia videt: velut alternan-
te conceptu hinc illuc, inde huc: sed om-
nia videt simul.

Respondeo dicendum, quod in scien-
tia diuina nullus est discursus: quod sic pa-
tet. In scientia enim nostra duplex est dis-

ARTIC. VII. & VIII.

curfus. Vnus secundum successionem tan-
tum. Sicut enim postquam intelligimus
aliquid in actu, conuertimus nos ad intel-
legendum aliud. Alius discursus est secun-
dum causalitatem. Sicut cum per princi-
pia peruenimus in cognitionem conclu-
sionum. Primus autem discursus Deo con-
uenire non potest. Multa enim, quæ suc-
cessiue intelligimus, si vnumquodque eo-
rum in seipso consideretur, omnia simul
intelligimus, si in aliquo vno ea intelliga-
mus: puta si partes intelligamus in toto,
vel si diuersas res videamus in speculo.
Deus autem omnia videt in vno, quod est
ipse, ut habitum est. Vnde simul, & non
successiue omnia videt. Similiter etiam, &
secundus discursus Deo competere non
potest. Primo quidem, quia secundus dis-
cursus præsupponit primum: procedentes
enim à principiis ad conclusiones non si-
mul vtrumque considerant. Deinde quia
discursus talis est procedentis de noto ad
ignotum. Vnde manifestum est, quod
quando cognoscitur primum, adhuc
ignoratur secundum. Et sic secundum
non cognoscitur in primo, sed ex primo.
Terminus vero discursus est, quando se-
cundum videtur in primo, resolutis effe-
ctibus in causas. Et tunc cessat discursus.
Vnde cum Deus effectus suos in seipso vi-
deat sicut in causa, eius cognitio non est
discursiua.

Art. 4. 6.
huius q.

Ad primum ergo dicendum, quod licet
sit vnum tantum intelligere in seipso: ta-
men contingit multa intelligere in aliquo
vno: ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod Deus
non cognoscit per causam quasi prius co-
gnitam effectus incognitos: sed eos co-
gnoscat in causa. Vnde eius cognitio est si-
ne discursu: ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod effectus
causarum creaturarum videt quidem Deus
in ipsis causis, multo melius quam nos: non
tamen ita quod cognitio effectuum cau-
setur in ipso ex cognitione causarum crea-
tarum, sicut in nobis. Vnde eius scientia
non est discursiua.

Conclusio est negans, quam optime explicat
S. Doctor, eamque Dionys. 7. de diuinis nominibus an-
tea tradiderat. Quare autem scientia Dei non sit
cum discursu, satis manifestum est: & facile colli-
gi poterit ex ijs, quæ dicemus disp. 222.

ARTICVLVS VIII.

Utrum scientia Dei sit causa rerum.

AD octauum sic proceditur. Vide-
tur, quod scientia dei non sit causa
rerum. Dicit enim Origen. super
Epistolam ad Rom. Non propterea ali-
quid

87
1. dist. 3. 8. a.
1. 6. 1. 1. 1. 1.
1. 6. 1. 1. 1. 1.
1. 6. 1. 1. 1. 1.
1. 6. 1. 1. 1. 1.

2. 434. lib. 7. quid erit: quia id scit Deus futurum, sed quia futurum est, ideo scitur à Deo antequam fiat.

2. Præterea. Posita causa ponitur effectus: sed scientia Dei est æterna. Si ergo scientia Dei est causa rerum creaturarum, videtur quod creaturæ sint ab æterno.

3. Præterea. Scibile est prius scientia, & mensura eius, ut dicitur in 10. Metaphys. Sed id, quod est posterius & mensuratum, non potest esse causa. Ergo scientia Dei non est causa rerum.

Sed contra est, quod dicit August 17. de Trinit. vniuersas creaturas & spirituales & corporales, non quia sunt ideo nouit Deus, sed ideo sunt quia nouit.

Respondendo dicendum, quod scientia Dei est causa rerum. Sic enim scientia Dei se habet ad omnes res creatas, sicut scientia artificis se habet ad artificata. Scientia autem artificis est causa artificatorum, eo quod artifex operatur per suum intellectum. Vnde oportet quod forma intellectus sit principium operationis: sicut calor est principium calefactionis. Sed considerandum est, quod forma naturalis in quantum est forma manens in eo, cui dat esse, non nominat principium actionis, sed secundum quod habet inclinationem ad effectum. Et similiter forma intelligibilis non nominat principium actionis secundum quod est tantum in intelligente, nisi adiungatur ei inclinatio ad effectum, quæ est per voluntatem. Cum enim forma intelligibilis ad opposita se habeat (cum sit eadem scientia oppositorum) non produceret determinatum effectum, nisi determinaretur ad vnum per appetitum, ut dicitur in 9. Metaphys. Manifestum est autem quod Deus per intellectum suum causat res, cum suum esse sit suum intelligere. Vnde necesse est, quod sua scientia sit causa rerum secundum quod habet voluntatem coniunctam. Vnde scientia Dei secundum quod est causa rerum, consuevit nominari scientia approbationis.

Ad primum ergo dicendum, quod Origen. locutus est attendens rationem scientiæ, cui non competit ratio causalitatis, nisi adiuncta voluntas, ut dictum est.

Sed quod dicit, ideo præscire Deum aliqua, quia sunt futura, intelligendum est secundum causam consequentiæ, non secundum causam essendi, sequitur enim, si aliqua sunt futura quod Deus ea præscierit: non tamen res futuræ sunt causa quod Deus sciat.

Ad secundum dicendum, quod scientia Dei est causa rerum secundum quod

Vasquez in 1. part. Tomus I.

res sunt in scientia. Non fuit autem in scientia Dei, quod res essent ab æterno. Vnde quamuis scientia Dei sit æterna, non sequitur tamē quod creaturæ sint ab æterno.

Ad tertium dicendum, quod res naturales sunt mediæ inter scientiam Dei & scientiam nostram. Nos enim scientiam accipimus à rebus naturalibus, quarum Deus per suam scientiam causa est. Vnde sicut scibilia naturalia sunt priora, quam scientia nostra & mensura eius, ita scientia Dei est prior, quam res naturales, & mensura ipsarum. Sicut aliqua domus est media inter scientiam artificis, qui eam fecit, & scientiam illius, qui eius cognitionem, ex ipsa iam facta capit.

Explicatio Articuli.

Conclusio est affirmans, ita tamen intelligenda, ut scientia Dei, simul cum voluntate, vnaquæque in suo ordine, sicut in nobis etiam contingit, sit causa rerum. An vero præter scientiam, & voluntatem in Deo sit alia potentia ratione nostra saltem distincta, quæ sit proximum principium exequendi, & operandi, quod intellectus ordinauit, & voluntas elegit, dicemus infra disp. 101. an vero propinquius se habeat scientia Dei, quam eius voluntas ad rerum productionem, disp. 81. ostendemus.

Cæterum obseruandum est primum, duplicem in Deo scientiam à nobis distingui, uō quia in ipso duplex sit operatio sciendi, sed ex diuersis obiectis, ad quæ refertur. Quædam enim nouit Deus possible, antequam intelligantur absolute futura, & hæc dicitur communiter scientia simplicis intelligentiæ: quædam vero iam futura ab æterno, & hæc dicitur scientia visionis, eo quod sicut visus ad res existentes semper terminatur, nunquam tamen ab existentia eas abstrahit, sic illa scientia ad res sub aliqua existentia terminatur: quæ licet sit circa futura in tempore, aut præterita, qui tamen Deus tam præterita, quam futura eodem modo cognoscit, nec eget præsentia rei, tam hæc, quam illa communiter dicitur visionis: tamen si aliqui nolint appellare scientiam visionis, nisi eam, quæ circa res præsentis in tempore versatur, sed quæstio parui momenti, & de sola voce est.

Deinde obseruandum est, cum dicimus, scientiam Dei esse causam rerum suo modo, debere intelligi de scientia simplicis intelligentiæ, quæ præcedit rerum omnium futuritionem: nam quæ est scientia visionis futurorum, causa eorum esse non potest, eo quod supponit iam res ipsas futuras, ut disp. 68. cap. 6. explicabitur. Vtrum autem scientia Dei sit practica, an vero speculatiua, & quæ sit practica, quæ vero solum speculatiua, art. 16. huius quæstionis dicemus.

ARTICVLVS IX.

Vtrum scientia Dei sit non entium.

Ad nonum sic proceditur. Videtur quod Deus non habeat scientiam nisi entium. Scientia enim Dei non est nisi verorum. Sed verum & ens conuertuntur. Ergo scientia Dei non est non entium.

Ecce

2. Præ-

2. Præterea scientia requirit similitudinem inter scientem & scitum. Sed ea, quæ non sunt, non possunt habere aliquam similitudinem ad Deum, qui est ipsum esse. Ergo ea, quæ non sunt, non possunt sciri à Deo.

3. Præterea Scientia Dei est causa scitorum ab ipso. Sed non est causa nō entium, quia non ens non habet causam. Ergo Deus nō habet scientiam de non entibus.

Sed contra est, quod dicit Apostolus ad Rom. 4. Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.

Respondendo dicendum, quod Deus scit omnia, quæcumque sunt quocumque modo. Nihil autem prohibet ea, quæ non sunt simpliciter, aliquo modo esse. Simpliciter enim sunt, quæ actu sunt. Ea vero, quæ non sunt actu, sunt in potentia, vel ipsius Dei, vel creaturæ: siue in potentia actiua siue in passiva, siue in potentia operandi, vel imaginandi: vel quocumque modo significandi. Quæcumque igitur possunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, & etiam quæcumque ipse facere potest, omnia cognoscit Deus, etiam si actu non sint. Et pro tanto dici potest, quod habet etiam non entium scientiam. Sed horum quæ actu non sunt, est attendenda quædam diversitas. Quædam enim licet non sint nunc in actu, tamen vel fuerunt, vel erunt: & omnia ista dicitur Deus scire scientia visionis. Quia cum intelligere Dei, quod est eius esse æternitate mensuretur, quæ sine successione existens totum tempus comprehendit, præsens ingitibus Dei fertur in totum tempus, & in omnia quæ sunt in quocumque tempore, sicut in subiecta sibi præsentia. Quædam vero sunt, quæ sunt in potentia Dei vel creaturæ, quæ tamen nec sunt, nec erunt, neque fuerunt. Et respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ. Quod ideo dicitur, quia ea, quæ videntur apud nos, habent esse distinctum extra videntem.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum quod sunt in potentia, sic habent veritatem ea quæ non sunt actu, verum est enim ea esse in potentia & sic sciuntur à Deo.

Ad secundum dicendum, quod cum Deus sit ipsum esse in tantum unumquodque est, in quantum participat de Dei similitudine: sicut unumquodque in tantum est calidum, in quantum participat calorem. Sic ea quæ sunt in potentia, etiam si non sunt in actu, cognoscuntur à Deo.

Ad tertium dicendum, quod Dei scientia est causa rerum voluntate adiuncta. Unde non oportet quod quæcumque scit Deus, sint vel fuerint, vel futura sint, sed solum ea, quæ vult esse vel permittit esse. Et iterum. Non est in scientia Dei, ut illa sint, sed quod esse possint.

Explicatio articuli.

Conclusio est affirmans, & verissima: intelligit autem B. Th. per non entia, ea quidem, quæ possibilia sunt non tamen præsentia, neque futura, nam & futura inter ea, quæ sunt, connumerat S. Doctor eo quod in conspectu Dei non tantum sit eorum essentia ab existentia abstracta, sed etiam cum illa, pro ea tamen temporis differentia, in qua futura sunt: ideoque habitum omnium rerum, etiam futurarum, scientiam appellat ipse, & Doctores communiter, scientiam visionis, quoniam ad rem cum eius existentia refertur, de qua latius in a. 13.

DISPUTATIO LXI.

An scientia Dei sit non entium.

Notationes quedam pro solutione questionis: cap. 1.

Quomodo non ens ad intellectum Dei referatur, cap. 2.

CAPVT I.

Notationes quedam pro solutione questionis.

Quia non entia dici possunt, quæ impossibilia sunt, ut hominem esse æquum, & similia, dubitare optime possumus, an scientia Dei ita sit horum non entium, sicut est entium, & eorum possibile, videri autem potest alicui, scientiam Dei ad non entia terminari, ut eodem ipso conceptu quo Deus cognoscit entia, cognoscat non entia: sicut dici consuevit per habitum, privationem cognosci nec in mente Dei esse proprium aliquem conceptum non entium, sicut est entium, & eorum, quæ sunt: idem enim videtur expresse tradidisse Dionysius 7. de diuinis nominibus post medium, ubi de modo, quo Deus res cognoscit, sic ait, Non quid per speciem singula consideret, sed quod vno causa complexu omnia sciatur, & continueat: quemadmodum etiam lux per causam in se tenebrarum notitiam anticipatam & informatam habet, quod non aliunde quam ex luce tenebras novit. Ecce qualiter Dionysius docet, tenebras per lucem cognosci, & cum hoc comparat modum, quo Deus res intelligit: quare posset aliquis dicere, eodem modo ens, & nō ens ad intellectum diuinum referri, sicut lumen & tenebræ visui corporeo comparatur; ut sicut eodem actu, non distincto, dicitur visus esse tenebrarum, eo ipso, quod est lucis, sic etiam eodem conceptu, quo Deus cognoscit esse rerum, cognoscat etiam nō entia, hoc est, quicquid non est. Verum cum de intellectu diuino; & de modo, quo intelligit, exacte loqui non valeamus, sed ex modo, quem in nostro intellectu experimur seculis aliquibus imperfectionibus, quæ in Deum cadere non possunt, Theologizare necesse sit, ostendendum nobis est hac via quid in hac re dicendum sit, paucis explicatur. In explicationem ergo huius rei notandum est, primo in diuino intellectu esse non posse plures actus, sicut in nostro, sed intellectum Dei & intellectionem, quam habet de rebus, esse suam simplicissimam essentiam, quæ prout ad diuersa obiecta refertur, vel diuersa obiecta cum ipsa comparantur, dicitur talis, aut

ta lis